



† R. P. Iosephus Atzberger (1870-1949)

(Prov. Germ. Sup.)

Die 21 Dec. 1949 in domo Cham sancte obiit Senior Provinciae Germaniae Superioris, P. Atzberger, annum agens octogesimum. Sic impletum vidit ultimum suum desiderium: « Orate, dilecti confratres, ut Divinus Infans veniat me ad suum paradisum vocaturus ». In pervigilio Nativitatis Domini corpus mortuum sepulturae traditum est. Ipse P. Provincialis Pl. R. P. Scherzl cantavit Missam exequialem, et Adm. R. P. Rector Asen funebrem sermonem pronuntiavit.



R. Iosephus Atzberger nobis reliquit exempla genuini filii S. P. N. Alfonsi. Natus in pago Harham archidioecesis Monacensis (*München*) 27 IV 1870, inter paucos illos pueros fuit, qui a. 1883 in loco Bachham, parociae Heldenstein, duce P. Valentino von Riedl, Provinciae iuvenatum inaugurabant. Exstat quaedam pictura Fr. Maximiliani Schmalzl, ubi hi primipili apparent sub pallio materno B. M. V. coadunati; verum ex eis solus P. Atzberger ad professionem pervenit vel saltem in sinu Congregationis mortuus est.

Parium Seminarium Provinciae undecim iuvenistarum a. 1886 a Bachham extra fines patriae transfertur in Dürrenberg, haud procul a Salisburgo¹. Ibi Iosephus noster cum tribus commilitonibus et quodam alumno Seminarii dioecesanis Ratisbonensis 29 IX 1888 a P. Magistro Ioanne B. Frankenberger Liguoriana veste indutus est, 4 X 1889 vota nuncupavit, 21 IX 1893 prima vice in laetitia cordis sui pronuntiavit verba: *Introibo ad altare Dei*.

Studiis absolutis P. Atzberger a Superioribus suam praecipuam pro reliqua vita missionem recepit: instruendi scilicet atque educandi iuventam ad Institutum Alfonsianum aspirantem. Huic magno operi per annos 43 totum sese dedicavit. Primis annis collaborabat cum Servo Dei P. Gaspare Stanggassinger, post cuius sanctam mortem (a. 1899) ipse nominatus est Director iuvenatus, interim e Dürrenberg in Gars translatus. Nunquam eius alumni obliviscentur huius eximii paedagogi bonitatem, simplicitatem, modestiam, indefessam iuvandi promptitudinem, qui virtutem magis factis quam verbis docebat.

¹ Cfr. G. BRANDHUBER, *Die Redemptoristen*, p. 240.

Inde ex a. 1942 P. Atzberger variis Provinciae domibus sua pretiosa servitia praestitit qua confratrum fideliumque confessarius aut parochorum vicinorum auxiliator. Semper Regularum observantissimus, semper ad alios iuvandos paratus, semper humilis et pius, in fine vitae patientiae quoque singularia exempla nobis reliquit; carcinomatis enim intestinalis inexorabilem ac dolorosum morbum forti animo pertulit absque medicinis dolorem mitigantibus atque sine ullis lamentis. Sic meritis onustus, diuturna infirmitate purgatus, sacramentis morientium munitus, transiit ad aeterna Paradisi gaudia, brevi ante terrena Natalis Domini gaudia atque Anni Sacri Iubilaei initium. R. I. P.

† **Fr. I. Philippus (Michaël Buchner), 1867-1950**

(*Prov. Germ. Sup.*)

In pago Unterglain, dioecesis Ratisbonensis, Fr. Philippus 21 IX 1867 in lucem editus est, patre fabro ferrario Udalrico Buchner, matre Francisca Radspieler. In baptismo S. Michaëlem patronum recepit. Didicit patris artem mechanicam, sed agros quoque colebat.

Kalendis Maiis 1889 intravit in collegium Gars, ubi tirocinii Magistrum habuit P. Ioannem B. Frankenberger, in superiore necrologo iam nominatum, magnae virtutis virum. Simili sanctitatis fama gaudebat, qui tunc magno collegio Rector praeerat, P. Udalricus Klarmann. Eius conferentiam quondam de psalmo *Miserere* coram communitate habitam Fr. Philippus per totam vitam recordabatur.

In religione Fr. Philippus praecipue addicebatur agriculturae et horticulturae. Votis 23 V 1895 emissis, iam Octobri mense eiusdem anni cum P. Valentino von Riedl, aliquot clericis et septem Fratribus in Brasiliam profectus est ibique undecim annos transegit, partim in Campinhinhas (Goyaz), partim Aparecidae.

A. 1906 debuit infirmum confratrem comitari in suo itinere Europaeo, postea in Novum Mundum rediturus; sed Provincia matrix Fratrem optimum non iam dimisit. Fr. Philippus annis 1906-09 adscriptus erat domui Gars, 1909-14 domui Heldenstein, postea suppressae, tempore primi magni belli iterum collegio Gars, usque ad Maium 1922 domui Niederachdorf et per paucos menses domui Halbmeile, inde usque ad mortem collegio Montis Venusti (*Schönenberg*) supra Ellwangen, Württemberg. Quam carum erat hoc Sanctuarium pio Fratri, qui in deliciis habebat magnis parvisque exercitiis in Deiparae honorem pro viribus interesse et genuina sua pietate aliis aedificationi erat! Episcopus Auxiliaris Rottenburgensis Exm̄us Franc.